

I. N. J. A.
DISSERTATIO PHILOLOGICO-METAPHYSICA,
SPECIMEN
METAPHYSICÆ
BIBLICÆ,

exhibens

Quam

Consentiente Ampliss. Philosophorum Ordine
In Illustri Academiâ Rostochiensi,
PRÆSIDE

ZACHARIA GRAPPIO,

S. S. Theologiæ Doctore, Phys. & Metaph.

Prof. publ. ordin. & ad ædem Cathedralem Verbi

Divini Ministro,

RESPONDENS


JOHANN-HENR. ZYLIUS,

Parchimo-Mecklenb. SS. Theol. Stud.

IN AUDITORIO MAJORI

ad d. II. Mart. A. O. R. M DCCII.

horis consvetis placido Examini submittit.



ROSTOCHI,

$z\frac{1}{2}$ pl. Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliss. Senat. Typogr. 62

75.

a. XLIII. 5.

b
25
diss. A

Metaphys. Bibl. O. Linge



I. N. J. A. !
DISSERTATIONIS
CONSPECTUS.

- §. 1. **D**E Contemptoribus Philosophia & in specie Metaphysica agitur.
2. Contra eos usus Philosophia & sic Metaphysica etiam asseritur.
3. Abusus tamen se insinuans rejicitur.
4. Quis Metaphysica in Theologia usus sit ostenditur, etiam in interpretando S. Codice.
5. Hinc commendatur ac exoptatur Metaphysica quaedam BIBLICA & Christiana, qua quomodo dicatur, explicatur.
6. Queritur autem: Quamnam Philosophiam Spiritus S. habeat? Utrum Platonicam, an Aristotelicam, aut quamnam aliam? Qua breviter deducuntur & decidentur.
7. Certa quaedam regula circa Metaphysicam

Biblicam conscribendam observanda traduntur.

8. Haecenus dicta exemplis quibusdam Biblicis breviter illustrantur, & quidem 1) vocabulò: Entis ejusque opposito: Non-Entis.
9. 2) Ex Cognatò Entis: Lyest.
10. 3) Attributis Entis unitis, & quidem
- a) unius.
11. b) Veri.
12. c) Boni.
13. 4) Attributis quibusdam disjunctis.
14. 5) Exemplo quodam ex parte specialè Metaphysica deprompto.
15. Usus Metaphysica Biblica.
16. Epilogus Dissertationis.

§. I.

UTi universa Philosophia: sic imprimis etiam Metaphysica semper suos habuit osores, non saltem in obscurioribus illis ignorantiae seculis, tenebris Papisticis involutis: (a) verum etiam quibuscunque aliis temporibus, etiam iis, in quibus una cum Evangelii luce etiam studia resplendescere coeperunt. Vel unicum illud modò præterlapsum seculum varios ejusmodi nobis sistit, qui criminationibus variis in hæc studia sophica debachatis fuerunt. Statim sub initium seculi ejusdem prodiit Daniel Hoffmannus Theologus Helmstädiensis, qui Philosophiam, imprimis verò Metaphysicam, ceu Theologiae inimicissimam, studiosæ juventuti invisam reddere voluit. (b) Mox circa A. 1616. Wenceslaus Schillingius, Valentinus Cremcovius (c) aliique, sub fictitiis Sigwardi Wahrmond & Sigwardi Garguthenii nominibus magno cum impetu adversus Metaphysicam latrarunt, quibus se opposuit Jacobus Martini. (d) Ex Reformatis iisdem accessit Guilielmus Amesius (e) cui se opposuit Caspar. Ebelius. (f) Vid. de his B. Dn. D. Jo. Gottlieb. Möllerum, cele-

A .

cele-

celeberrimum quondam Academiae nostrae decus, (g) Conf. & contra eosdem B. Georg. Meyer. (h) Dn. Henr. Muhlum (i) aliosque. Quae Robertus Barclajus, William Caton, Christianus Hoburg aliique superioris seculi Fanatici contra Metaphysicam scripserunt, recensent & refutant B. Guilielmus Baier. (k) & B. Ehre Gott Daniel. Colberg. (l) Prae aliis vero, quos tacemus, circa finem praeteriti & initium hujus praesentis seculi Philosophiae, & inprimis etiam Metaphysicae, summi osiores fuerunt, & adhuc sunt vulgo sic dicti *Pietistae*, quorum nonnulli partim ipsi Collegia sua Philosophica, olim in Academiis habita, vulcano consecrarunt: partim etiam Studiosis, inprimis iis, quibus non diu in Academiis morari licet, praescribunt, ut plane nulla Collegia Metaphysica habeant, sed statim ad studium Biblicum animum adplicent; Quemadmodum ex *Pietistarum* dictis & scriptis ex professo haec omnia deduxit praee aliis celeberrimus ille Gedanensium Theologus *Maxime Rev. Dn. D. Schelvigius* (m) Patronus ac in Christo Pater noster colendissimus.

- (a) Tale enim hoc fuit odium, ut libros Philosophicos plane ad rogam condempnaverint; sic enim de *Almarico* constat, quod Anno 1209 auctoritate *Parisiensis* cujusdam *Synodi* Cadaver ejus fuerit effossum, & una cum *Aristotelis* libris *Physicis* & *Metaphysicis* igne crematum. Vid *Natal. Alexander in Histor. secul. XIII. & XIV. Cap. 3. Art. 2.* Alii *Almaricum* adhuc vivum ob Philosophiam crematum dicunt. Conf. B. Vitum Ludov. von Sedendorff *Im Christen-Staat in Addit. p. m. 305.* Plura quoque habet Jo. Launoyus *de varia Aristotelis in Academia Parisiensi, fortuna Part. 5. Ep. 9.* Ut infinitos alios Pontificiorum processus contra *Metaphysicam* taceamus.
- (b) Hic tamen auctoritate *Henrici Fulsi Ducis Brunsvicensis* palinodiam canere coactus est peculiari programme *Helmstad. Ao. 1601. d. 29. Mart. affixo.* (c) Sic enim *Schillingius* scripsit *Ecclesia Metaphysicae Visitationem, concionibus Metaphysicis 10. exquisitissimis discutientem praecipuos Metaphysicae Articulos.* Cui scripto Odam praefixit ejusdem tenoris *Cremcovius.* (d) *In dem Vernunft. Spiegel.* (e) *in Disput. Theolog. adversus Metaphys.* (f) *in Apologia pro veritate Metaphysica adversus Amesium.* (g) *in Diss. de debitis Metaphysicae laudibus A. 1696. Gedani hab.* (h) *in Regina Ministra in Proaemio Theor. 1. Quest. 1, 2, 3, 4.* (i) *in Συζητησις Epistolica de Loco Paulino ex Cap. 2. Coloss. v. 8.* (k) *in Collatione doctrinae Quakerorum. c. 3. Thes. 3.* (l) *im Platonischen Hermetischen Christenthum Part. 2. c. 15. n. 7 seqq. p. 700. seqq.* (m) *in der Sectirischen Pietisterei. Parte 1. Artic. 6 p. 145. Confer. & Jacob Under Sohns Send. Schreiben aus Hamburg von den Leipziger Collegis Pietatis p. 2. Item Berichtliches Leipziger Protocoll in Sachen der Pietisten. pag. 19 sq.*

§. II. Contra hos vero omnes aliosque intempestivos osiores usum *Philosophiae*, ac in specie etiam *Metaphysicae* cordatiores ac puriores omnes veritatis divinae amatores asserunt ac defendunt. Non dicemus quem forte usum *Metaphysicae* habeat vel in *Jurisprudentia*, vel in *Medicina*; Icti & Medici, quos
inter

inter & multos Philosophos veneramus certè acutissimos, de eòdem diss. in
sed hâc vice saltem loquimur de *Uso Metaphysicæ in Theologia*, qui omnino non
contemnendus est. Sic enim occurrunt in Theologiâ nostrâ termini plurimi &
quidem tales, quibus carere non possumus, & quorum sensus non nisi ex Me-
taphysicâ dari potest. Probarunt id jam dudum plurimi plurimis. Vid. B. Bal-
thas. Meisnerus. (a) B. Georg. Meier. (b) Michael Piccart. (c) B. Christoph.
Scheiblerus (d) aliiqve.

(a) In *Philos. sobria. Part. 1. quest. General. de Usu Philos. in Theolog. pag. m. 18. sqq.* (b)
In *Reginâ Ministrâ l. c. qu. 2. p. 8.* (c) In *Philosophia Altorffina p. 389. seqq.* (d) In
Metaphysica in Proœm. Cap. 2.

§. III. Equidem non diffitemur, magnum quoque dari hîc *abusum*.
Plerumque enim fit, ut, quò res est præstantior, eò abusus ejus est frequentior.
Observamus autem præ aliis tres abusus. *Primus* consistit in variis illis con-
tentionibus de terminorum significationibus, ubi famosi deseruntur, noviqve,
ansam controvertendi præbentes, finguntur. Sic enim universa Philosophia
hâc habet fata, ut termini ejus non quemadmodum natura ipsorum & institu-
tum veterum vult, sed pro arbitriò aliter ab hîc, aliter ab illò sumantur atque
explicentur; Inde est, quod Philosophia hodie fermè in privata cujusque inge-
nii, pro lubitu somniantis, deliria degeneret, quæ ab unò alteròve servò Mœlibœi
pecore cœcò quòdam impetu ex amore erga Præceptorem adorantur: Idem &
in Metaphysica observamus, in quâ termini multi diversimodè partim à variis
non tam ex studiò veritatis, quàm ex immoderatâ quâdam philosophandi curio-
sitate, & inclarescendi studiò explicantur, quemadmodum ex Disceptationibus
Cartesianis aliisque videre est: partim etiam plane novi & hæcenus non usitati
introducuntur, quæ inventum fuit *Job. Cardani, Episcopi Viglevanensis Comi-
tis Zemide*, (a) aliorumqve. Quò factum, ut nonnulli cum nuperrimò Au-
tore quòdam *Anonymò*, (b) in eam dilapsi fuerint sententiam: plerorumqve ter-
minorum Metaphysicorum notiones veras & fecundas vulgò latere. *Secundus*
abusus consistit in variis inutilibus ac otiosis controversiis, quibus *Scholasticorum*
Systemata Metaphysica passim scatent, quibus utiqve carere poteramus; Ad
quas *Franciscus Baco de Verulamio* (c) non incongruè adplicat, quod de *Senecâ*
dictum erat: *Verborum minutiis rerum frangit pondera*: sic *Scholastici* quæ-
stionum minutiis scientiarum frangunt robur, inque aulâ spatiosâ consultius fore
iudicat, unum accendere cereum, aut lychnuchum suspendere variis luminibus
instructum, quò omnia simul illustrentur, quàm in singulos angulos quæqua-
versus exiguam circumferre lucernam. *Tertius* abusus consistit in nimis liberâ
ac inverlò ordine factâ ad Theologiam applicatione, quâ dogmata Theologica

obscuriora saltem ac difficiliora redduntur, ut à nemine nisi subtilitatum harum peritissimò intelligi queant. Quapropter non immerito à Jo. D' Espagne (d) comparantur Scholastici cum Medicis, qui peculiare suos habent characteres, quos nemo intelligit, nisi qui artem hanc didicit. Et quemadmodum obscuritas, ita & inversus hic ordo meritò culpatur. Non incommodè Magnus ille quondam Academiae hujus Theologus B. D. Justus Christopherus Schomerus Scholasticos hòc in negotiò assimilare solebat minùs sapienti illi Regi, qui pugionem sibi pretiosum comparare intendebat, priùs verò cellulas eidem insculpendas curaverat, deinceps verò quæsierat adamantes, cum tamen hos priùs quærere debuisset, quippe ad quos cellulae adaptandæ fuissent: Ita etiam Scholastici priùs cellulas suas Philosophicas pro lubitu adornarunt, deinde verò ex Theologiâ conquisiverunt adamantes, adeoque Philosophiam non ad Theologiam, sed Theologiam ad Philosophiam adaptarunt. Quò reverà factum, ut, iudice Verulamio, (e) Theologia in artem, tanquam in cisternam collecta sit, atque inde axiomatum & positionum rivuli in omnes partes fuerint distributi.

(a) Edidit ille novam *Dialectum Metaphysicam Viglevani Anno 1681.* ubi mirà habet de Terminis. Verbum facit stylo Logicorum *substantivum & adjectivum.* Illud verbum scilicet *Sum*, distinguit à novis quinque verbis: *Sam, Sem, Sym, Som, Sum*, ita, ut illud nihil denotet aliud, quamly *esse generice*, hoc *specificè.* *Sam*, habere essentiam, *Sem*, habere existentiam, *Sym*, habere æternitatem simultaneam, *Som*, habere actum physicum, *Sum* habere aliquam durationem &c. Conf. etiam hæc recensentia *Acta Eruditorum Lipsiens. Anno 1683. Mens. Dec. p. 532. sqq.* (b) Nempe G. G. L. *de prima Philosophia Emendatione, & de Notione substantia in Act. Erudit Lips. Ao. 1694. Mens. Mens. Mart. p. 110. sqq.* (c) In Tract. de dignitate & Augment scientiar. l. 1. p. 46. seq. (d) In *Erroribus popularibus c. 7. p. 434. opp. german. edit.* (e) l. c. L. 9. p. 741.

§. IV. Attamen abusus hicce usum non tollit, ut cum *Petrò Poiret* (a) aliisque Confessoribus Neo-Philosophis etiam ea, quæ in Metaphysicis Veterum Philosophorum bona sunt, rejiciamus, aliaque dogmata substituamus æque absurda & obscura ac Scholasticorum deliria. Quis enim Metaphysicæ in Theologiâ sit usus, norunt illi, quibus solidiora studia Theologica curæ sunt. Non hæc vice loquemur de *Uso Didascalico* vel *Elenctico* $\kappa\tau\epsilon\upsilon\alpha\sigma\tau\iota\kappa\acute{o}$ vel $\alpha\upsilon\alpha\sigma\tau\epsilon\upsilon\alpha\sigma\tau\iota\kappa\acute{o}$ in Theologiâ Theticâ & Polemicâ. Quem usum in suis scriptis sat solidè explicuerunt B. *Balthas. Meisnerus* (b) *Keslerus*. (c) *Calovius*. (d) *Rudrauff* (e) *Meier*. (f) *Posewitz*, aliique. (g) Differimus hæc vice de *Uso Exegeticò*, ut vulgò audit, in *Theologiâ Exegeticâ & Hermeneuticâ*. Nam in interpretandò sacrò Codice & Metaphysicam *ministerialem* aliquem & *subsidiarium* habere

habere usum concedunt facillè Exegetæ, & Hermenevtæ peritiores omnes. Vid. B. Danb. (h) B. Pfeiffer (i) B. Job. Bened. Carpzov (k) & alios, qui de Usu Philosophiæ in Theologiâ & imprimis etiam in Hermenevticâ S. scripserunt. Quod & ipsa *ἐπιπέφασκε* & quotidia experientia comprobat. Sic enim occurrunt multi termini in S. Scripturâ, qui sine notitiâ Metaphysicâ non adeò commodè explicari satis possunt.

(a) Auctor hic in Tractatu de Eruditione solida, superficiali & falsa omnem fermè Aristotelicam & Scholasticam Metaphysicam rejicere allaborat, planeqve novam multò absurdiorē adhuc atqve obscuriorē absurdissimâ, ac obscuris, quæ in vulgari- bus Systematibus Metaphysicis Aristotelicis & Scholasticis occurrunt introducere tentat. Lege L. 1. Parte 1. l. 2. Num. 27. p. 171. seq. l. 3. n. 25. p. 272. sqq. Lege etiam veram methodum inveniendi verum, modo citato Tractatui præmissam. (b) In Philosophia sobria parte 1. (c) In Metaphysica Photiniana. (d) In Metaph. diuina. (e) In Hagare ancillante. (f) Regina Ministra. (g) In Metaphysica Theologica. (h) In Hermenevt. Sacra. Sect. 1. Art. 4. §. 2. p. 102. sq. (i) In Thesuro Hermenevt. p. 201. 432. 475. (k) In Theologia Exegetica nuperrimè excusa p. 19.

§. V. Hinc ut Ulus hicce eò magis patesceret, optauimus sæpius *Metaphysicam* aliquam *Biblicam*. Habemus *Logicam sacram* N. T. Zeisoldi, *Grammaticam & Rhetoricam* B. Glassi, *Physicam* Valefii, *Alsaci*, aliorumqve, *Ethicam* S. ejusdem *Alsaci*, *Danei & Lutbaridi*, *Politicam* S. Menochii & Reinkingii, *Metaphysicam* vero *Biblicam* ex professò tractatam conspiciere hætenus nobis nondum licuit, in quâ simul omnes termini Biblici explicati fuissent. Sic enim utiqve S. Scripturâ prora & puppis studii nostri Academici deberet esse, & in Philosophiâ quoqve deberet legi ab iis, qui *Christianorum* nomine gaudent. Quamvis enim Scriptura quidem Philosophiæ sic & Metaphysicæ, non sit principium, quamvis etiam nec tota Philosophia nec tota Metaphysica in Scripturâ tradatur ut addisci exinde queat, in alium enim finem Scriptura S. nobis data est: multa tamen in eadem habentur *Philosophica & Metaphysica*, quæ etiam si etiam obiter saltem occurrant, sat accuratissima tamen & verissima ea sunt. Quemadmodum peculiari scriptò sat solidissimè eicit celeberrimus Dn. Jo. Brunsmann. (a) Adeoq; Scriptura Sacra non soli Theologo sed & *Philosopho*, Theologo subministranti, id est: Christiano, data est, indeq; est *Philosophia*, & sic quoq; *Metaphysica Christiana & Biblica*, sic dicta non ratione *objecti*, quasi de Christò & similibus Mysteriis agat: sed quòd terminos suos & theses plures in principiò fidei Christianæ, quæ sola Scriptura S. est, extare novit. Non dicimus hæc propriâ auctoritate, ablegamus B. L. ad Val. Alberti (b) qui hæc omnia prolixius ac more suo solidè deduxit, quamvis quidem ex aliâ hypothesi de *Philosophiâ practicâ*,
quæ

quæ tamen suò modò & ad *Theoreticam* applicari poterunt, quemadmodum ex N. T. Dn. M. Paulus Antonius (c) exemplis quibusdam id illustravit.

(a) In libro sub Tit. *Gratia Natura Interpres*. Vid. inter alia l. 1. c. 1. 2. (b) In peculiari Disput. de *Philosophia Christiana Existentiâ & Essentiâ*, quam ut Philosophus habuit Lipsiæ Ao. 1686. quæ Disputatio etiam habetur in *Erote ejusdem Lipsico* p. 199. Confer. & ejusdem *programma de eadem materia ibid.* p. 26. (c) In peculiari *Disp. de N. T. Philosophiis Lipsiæ 1686. hab.*

§. VI. Cùm autem Philosophia detur varia, quæritur: Qualem ergo Spiritus S. habeat in S. Codice, utrum *Platonicam*, an *Aristotelicam*, aut quamnam aliam? Et, ad quas hypotheses jam etiam in *Metaphysicâ Biblicâ* sit attendendum? Materia hæc est, de quâ peculiare passim eruditorum reperiuntur opiniones. Sunt, qui *Christum* dicunt *Philosophum* fuisse *Platonicum*, quemadmodum ex dictis quibusdam Salvatoris nostri collegit Jesuita Jo. Eusebius Nierenbergius (a) cum quo fermè convenit Jo. Spencerus (b) contra quos disputat Magnif. Dn. D. Jo. Fr. Mayer. (c) Johannem Evangelistam *Philosophum* etiam *Platonicum* fuisse in primis ex locis quibusdam ex Evangelio ejusdem probare non ita pridem conatus est Jo. Clericus. (d) Alii volunt Spiritum S. in Scripturâ S. hanc habere Philosophiam, cui tum temporis, quo libri *Ἰεσοῦ* prodierunt, vulgus fuit deditus, quemadmodum *Cartesiani* volunt, docentes Scripturam sacram loqui ad opinionem vulgi, etiam erroneam. At tum nova orietur quæstio: Cui ergo Philosophiæ vulgus tum temporis fuerit deditus? Nec hîc una omnium mens est, in primis quantum attinet tempora N. T. Sic enim nonnulli pugnant pro *Platonicâ*, ut modò citatus Clericus; alii Philosophiam *Aristotelicam* in primis floruisse volunt, quam sententiam Thomas Hobbes videtur fovisse. (e) Verùm enim verò hæc omnia partim plane absurdè, partim sine fundamentò dicuntur. Philosophia enim vel *Platonica*, vel *Aristotelica*, vel quævis alia, ab Inventoribus & Præceptoribus primis denominata, *sectaria* est, & *concretivè* spectata, in multis falsa plane & absurda. Nos potiùs dicimus Philosophiam, & sic *Metaphysicam* quoque, quæ habetur in S. Codice, esse veram illam & solidam, lumini naturali ex parte conformem, eamque, quæ Rom. I, 18. ipsa *DEI veritas* vocatur. Quam Philosophiam rectissimè describit Clemens Alexandrinus. (f) *Non Stoicam, nec Platonicam aut Ethnicam & Aristotelicam, sed quæ ab his Sectis rectè dicta, quæ docet justitiam cum piâ scientia, hoc selectum dicimus Philosophiam.* Quæcunq; autem ex humanis amputata cogitatis adulterarunt, ea nunquam vera dixerimus. Hanc & nullam aliam in Scripturâ S. agnoscimus, quemadmodum etiam nulla alia vera & solida in mundò datur.

datur. Non enim Plato, non Aristoteles, non Epicurus, vel quivis alius mortalium Philosophiæ est Auctor, sed solus DEUS, qui Naturæ auctor.

(a) De Origine Scriptura Sacra, p. 445. (b) In Notis ad Originem adversus Celsum, p. 36. His etiam adde Paganos, qui olim dicente Augustino de Doctr. Christ., l. 2. c. 28. T. 3. opp. p. m. 37, Platonis lectores & dilectores ausi sunt dicere: omnes Domini nostri JESU CHRISTI sententias, quas mirari & deprædicare coguntur, de Platonis libris eum didicisse. (c) In Diss. utrum Christus legerit Platonem vel Terentium! Anno 1701. Hamb. hab. (d) In XVIII. primis Commatibus c. 1. Evang. Joh. paraphrasi & animadversionibus illustratis Amstelodami Ao. 1695. Cui se opposuit Elias Benoist in tribus Dissertationibus Epistolicis Roterodami, 1697. (e) Sic enim in Leviathan c. 46. p. m. 316. scribit: In maximo autem honore apud Græcos erat Philosophia græca, præsertim Aristotelica tempore Ecclesiæ primitivæ, quando ad fidem Christianam magno numero quotidie Græci accedebant etiam inter illos Philosophi: sed hi fidem ita amplexi sunt, ut tamen Magistrorum suorum dogmata (semicoeli Christiani) non deseruerint, sed quæcum doctrina Christiana quocumque modo conciliare potuerunt, retinuerunt. (f) Lib. 1. Stromat. pag. 6.

§. VII. Quod si verò Metaphysicam in S. Codice latentem eruere decenter velimus, certis quibusdam regulis opus habemus, secundum quas feliciter procedere licebit. Erunt hæc sequentes. (I.) Termini Metaphysici genuini erunt seligendi, & à significationibus aliis e. gr. physicis, moralibus &c. probè discernendi, ne terminum, sonò quidem Metaphysicum, sensu verò alium Metaphysicè fortè explices, & sic terminos confundas. Sic e. gr. quando habes terminos: *Veri*, *Boni* &c. quærere eos debes in iis locis Biblicis in quibus *Metaphysicè* sumuntur, non verò in iis, in quibus *moralem* habent *significatum*. (II.) Ipsi termini jam juxta regulas Hermenevticas, mediaque Hermenevtica, ut audiunt interna, erunt explicandi, & de sensu judicetur ex scopò textus ex antecedentibus & consequentibus, sedulâque collatione cum aliis locis parallelis, in quibus iidem termini in eodem significato Metaphysicò occurrunt. (III.) Sic explicati termini jam conferantur cum Systematibus Metaphysicis, ex quibus definitiones eorum pensitentur. Cùm autem procul dubiò hîc diversæ passim definitiones prodierint; singulæ conferantur secum invicem, & cum locis Biblicis, quæ ergo definitio præ aliâ maximè cum præcedente institutâ explicatione Hermenevticâ, juxta sensum Spiritus S. factâ, convenit, illa erit retinenda. Ex quibus simul jam constat, qualem medium Hermenevticum sit Metaphysica, nimirum non *internum*, sed *externum* saltem, & *subsidiarium*, quod per se & proximè finem Hermenevticæ S. intentum non producit: sed est subsidium, quod interpretem, media interna adplicantem, sublevat. De quibus vid. B. Dn. D. Aug. Pfeiffer. (a) In explicatione namque terminorum, etiam Metaphysicorum

B

corum

eorum non recurrimus proximè ad Metaphysicam, utpote quæ nusquam docet, quid hoc vel illud vocabulum denotet, sed proximè recurrimus ad *interna media*, postea verò declaraturi ulterius, quid sit id, quod per hoc vel illud vocabulum denotatur, quotve modis aliàs sumatur, recurrimus ad Metaphysicam, & inde desumimus explicationem vocis definitivam.

(a) *In Thesaurò Hermeneutico. c. 5. §. 3. p. 241.*

§. VIII. Ut autem asserta hæcenus constant, unò alteròve exemplò Biblicò eadem, quantum angustia chartæ permiserit, jam illustrabimus. Assumamus primo locò ipsum Metaphysicæ objectum, quod est vocabulum *Entis*, græcè ὄντῃ, ejusque oppositum, quod est *non-Ens*. Uterque terminus occurrit *Rom. IV, 17.* Καλέντῃ τὰ μὴ ὄντα, ὡς ὄντα, *vocantis entia sicut entia.* Applicentur regulæ nostræ circa occurrentes terminos, quorum prior est: ὄν. Est terminus Metaphysicus, & in tali significato eum etiam hòc locò occurrere ex subsequè patebit. Consideretur terminus nunc *Hermeneuticè*, & quidem sensus ejus est facillimus. Est enim participium ab ἔστι μὴ significans *id, quod est reverà & actu*, sive quod perinde est: *quod habet essentiam actualem*, quemadmodum Metaphysici loquuntur. Urget hunc significatum non saltem ipsa litera, sed & ipse Textus, ejusque scopus. Sic enim Spiritus S. vult describere DEum illum, in quem credidit Abraham, à summâ ejus omnipotentiâ, quam illustrem facit partim ex resurrectione mortuorum, partim ex creatione primâ rerum omnium, quam inquit verbum: Καλέντῃ. Jam verò *Creatio* est talis actio, per quam ex nihilò, à non esse ad esse, perveniunt Creaturæ, adeoque ex *non-Entibus*, *Entia* factæ. Explicetur jam terminus in *Systemate Metaphysicò*, & reperies, quòd admodum egregiè hæcenus dicta illustrentur ex definitione illâ Entis tritâ: *Ens est, quod habet essentiam realem, positivam, actualem & per se.* Hoc nimirum vult hoc locò Spiritus S.: Omnia creata ante sui creationem fuisse *non-Entia* seu *Nihil*, per Creationem verò quodlibet suam accepisse *essentiam*, eamque (α) *Realem*, hoc est, talem, quam non fingimus mente, sed quæ reapse datur, etiam nemine de eâdem cogitante. (β) *Positivam*, quæ in mundò ponatur; Quod non incommodè illustratur ex dicto: *2 Cor. IV, 6.*: Ἐπιπὼν ἐκ σκοτῆς φῶς λάμψαι. (γ) *Actualem*, quæ actu jam existat, nec amplius lateat in causis. (δ) *Per se*, ut non ex pluribus accidentaliter sit unitum. Quæ omnia ex inductione omnium creaturarum Hexaëmeri prolixissimè possent deduci. Posterior terminus in dictò nostrò occurrens est: μὴ ὄν, *Non-Ens*, Entis oppositum. Hic terminus *reductivè* etiam spectat ad Metaphysicam. Significat autem hòc locò μὴ ὄν *id quod non est.* Erasmus (a) quidem putat,

tat,

tat, idem significare ac *nullius ponderis esse*, quemadmodum *M. Tullius Minutii* cu-
 jusdam Testamentum adpellare videtur *nullum*, quod irritum esset & lege rejectum,
 & Græci νόμους ἔκ ὄντας vocant *irritas & abrogatas*: Sed non incongruè *Erasmus*
refutat Lud. Capellus (b) notans μή ὄν potius idem esse ac *Nihil* & quidem
 phrasi *Rabbinica*, qua significatur *creatio ex nihilo*, quemadmodum *R. Salomon*
Ben Gabirol in בְּתַר מְלִכּוּרָא verba faciens de rerum omnium creatione sic
 loquitur: קוֹרָא אֵל רִאֲוִין וְנִבְקַע אֵל הַיִּשׁ וְנִתְקַע וְאֵל הָעוֹלָם וְנִרְקַע: *vocat nihilum & excluditur*, i. e. omnia ex eo, tanquam ex ovo pullus excludi-
 tur; & τὸ Ἔνσ atq; firmatur; & mundum & extenditur. In eodem signifi-
 catu, quamvis ad aliam materiam adplicato occurrit etiam apud alios probatos
 Græcos Auctores. Sic enim *Xenophon* (c) ἔτις γὰρ ἔδοξα καὶ πρότερον πολλὰ
 ἤδη ἀληθεῦσαι τοιαῦτα τα ὄντα τε ὡς ὄντα, καὶ τὰ μὴ ὄντα ὡς ἔκ ὄντα. Quæ
 verba quidem sic transtulit *Romulus Amalæus*: Atq; huic quidem merito fidem ha-
 bebant: sæpe enim antea verissimè quæ compererat omnia detulerat. Sed versio
 longius à verbis recedit, quemadmodum rectè observat *Christoph Cartwright*
 (d) atq; versionem emendat hoc modo: *Iste enim visus est & antea multa ejus-*
modi verè narrasse, ea nempe quæ erant, prout erant, & ea quæ non erant, prout
non erant. Propriùs ad nostrum præsentem scopum accedit *Philo*, (e) qui ita de
 DEO Creatore loquitur: τὰ γὰρ μὴ ὄντα ἐκάλεσεν εἰς τὸ εἶναι τάξιν ἐξ ἀταξίας
 &c. *Non entibus enim dedit essentiam, confusa digessit in ordinem.* Quibus-
 cum convenit modus loqvendi, quò *Plutarchus* de *Romulò*, novæ urbis condi-
 tore, utitur: Ποιῶν ἐξ ἔκ ὑπαρχόντων πᾶρ ἀξίαν ἐπαίρει. Et hunc significa-
 tum termini de *non esse*, *non ente* vel *nihil* urget scopus præsentis loci *Paulini*.
 Sic enim creatura ante creationem *non erat*, erat *Non-Ens*, *nihil*, qui termini
 juxta Philosophos nonnullos pro synonymis habentur. Hinc etiam rectè *Hier-*
onymus (f) hunc locum ita refert: *Qui vocavit ea, quæ non erant* (quod idem
 est ac *Non-Entia*) *quasi ea quæ essent* (quod idem est, ac *Entia*.) Conferatur
 cum his descriptio *Non-Entis* *Metaphysica*. *Non-Ens est, quod non habet essen-*
tiam realem, positivam actualem, & per se, & omnia rectissimè se habent, sen-
sumque Spiritus Sancti optimè illustrant.

(a) In *h. l.* Tom. 4. *Crit. p.* 2571. (b) In *h. l.* *ibid.* p. 2579. (c) De *Cyrì minoris expedie*
l. 4. p. m. 229. seq. (d) In *Mellific. Hebr. l. 3. c. 1. Tom. 7. Crit. p.* 798. (e) De *Crea-*
tione Principis p. 562. edit. Colon. 1615. (f) In *Cap. 1. Jer. T. 5. opp. p. m.* 262.

§. IX. Inter cognata *Entis* *Metaphysici* quoque referunt τὸ ἔστ, de quo
 rectissimè *M. Philippus Zeisoldus* (a) observat, non in omnibus enunciationibus

Biblicis meram esse Copulam, sed emphasin interdum continere. Quæ emphas-
 sis interdum etiam ex Metaphysica desumenda. Sic e. g. occurrit locus (1.) *Luc.*
XII. 15. Ὁὐκ ἐν τῷ περισσεύειν τῶν ἢ ζωὴ αὐτῶ ἐστὶν ἐκ τῶ ὑπερχόντων αὐτῶ.
Seb. Schmidius: Non in eo, quod abundat alicui vita illius est ex facultatibus illius.
 Voculam *Est* hic non nudam esse copulam quilibet facile jam videt. Sed juxta *Hein-*
sum idem esse ac *sita est*, sive *consistit*, ex contextu adparet. (2.) *Job. VIII. v. 58.*
 Ubi Christus dicitur *esse antequam Abraham erat*, quod de præexistentia Christi,
 quoad divinam Naturam agere, & veram Christi Deitatem inferre, ex contextu
 pariter constat. Quæ si jam cum Metaphysicis terminorum explicationibus
 conferantur, eò uberius deduci poterunt. Sic enim docent Metaphysici τὸ *Esse*,
est, *esse conjugata Entis*, item duplex dari in sano sano *esse*, vel *essentia* vel *existentia*,
 quæ prolixus explicata vide apud *B. Jac. Martini*. (b) Et *Adrianum Heereboord*. (c)
 In *priori* loco obtinet *Esse essentia*, in *posteriori* *Esse Existentia*. Ex quibus etiam
 si prolixius esse velimus Nomen DEI *JEHOVAH* & locutionem illam: אֱלֹהִים אֶחָד
 אֱלֹהִים *Exod. III. 14.* explicare possemus.

(a) In *Logicâ S. N. T. Part. 1. observat. 9. p. 410. sq.* (b) In *Metaph. l. 2. sect. 3. p. m. 697.*
sq. (c) In *Meletem, Philos. volum. 1. Dissp. 49. p. m. 184.*

S. X. Pergimus ad *Attributa Entis*, quæ vulgò dividuntur in *Unita* &
Disjuncta. Assumamus ex *Unitis* *Attributum Unius*, qui terminus sæpissime
 in Scriptura S. occurrit. Sic DEUS dicitur *Unus* אֱלֹהִים *Deut. VI, 4.* Quò in
 loco agi de *Unitate DEI essentiali*, non facile quis negabit, adeoque terminus
 spectat ad *Metaphysicam*. Vocabulum autem אֱלֹהִים significare famosè *Unum*
 patet ex *Lexicis*, eumque significatum & in præsentis loco esse, ex ipso *Textu*
 satis jam constat. Explicetur jam in *Systemate* quodam *Metaphysico* termini
 hujus descriptio, & attendatur quid lucis præsentis loco accedat. Describitur ni-
 mirum vulgò τὸ *UNUM Metaphysicum*, quod sit tale aliquod *attributum*
Entis unitum, quò illud habet *essentiam in se indivisam* (vel si velis habere termi-
 num positivum) *conjunctam*. Cum autem DEUS sit *Ens plane singularissimum*,
 nec etiam alia *unitas* h. l. quam plane *singularissima* potest intelligi. Vocatur
 autem *unitas singularis* apud *Metaphysicos* in genere ea, quâ ita quid est *unum*, ut
 secundum eam *entis rationem* non sit *communicabile multis*, ut *inferioribus* &
sibi subjectis. Vid. *Dn. Conr. Hornejus*. (a) Ita ut quando DEUS dicitur *Unus*, hic
 jam sit sensus plane *singularissimus: Essentia DEI est indivisa & incommunicabilis*
vel ad alias essentias, vel ad inferiora, est sine multiplicatione ulla ac divisione.
 Ex quibus etiam deinceps facile intelligitur, quomodo longè alio in sensu *Es-*
sentia DEI respectu *personarum* dicatur *communicabilis*. Nimirum (1.) id
 non

non est ad aliam essentiam, nec (2.) ut ad inferiora, nec (3.) cum multiplicati-
 one ac divisione. Conf. hic etiam *B. Georg. Meier* & (b) *Calov.* (c) Eadem
 etiam notari poterunt ad reliqua loca, in quibus DEus ita ratione essentiae suae
 vocatur unus, qualia E. G. sunt *Job. XXIII. 13.* & in N. T. in quo vocatur *εἷς*
Matth. XIX. 17. (coll. cum *Marc. X. 18.* & *Luc. XVIII. 19.*) *Marc. XII. 29.* *1. Cor.*
VIII. 4, 6. *Jac. II. 19.* &c. Eadem termini explicatio quodammodo quoque expri-
 mit illam locutionem, quae DEus etiam *ratione Ecclesiae N. T.* ex Judaeis & Gentilibus
 adunatae vocatur *Unus i. e. indivisus Rom. III. 30.* Quo in sensu etiam explica-
 mus locum illum alias difficillimum *Galat. III. 20.* *ὁ δέ μὲν ἑστίν, ἐν δὲ ἕκαστον ὁ δὲ*
Θεὸς, εἷς ἑστίν. Quae vero explicatio *Grammatica* magis est, quam *Metaphysica*,
 aut si *Metaphysice* capiatur, in sensu aliquantulum latiori sumenda est, quo termi-
 num *Unius* Metaphysici nonnulli tam late accipiunt, pro *omni eo, quod indivisum*
est quocumque modo. Addamus adhuc unum locum, ut alia brevitati studentes
 praetereamus, vocatur *fides Eph. IV. 5.* *μία, una.* Quod si de fide *subjectivâ*, si-
 ve de *objectiva* explices, utrumque verum est. *Una est fides objectiva* quae creditur
i. e. indivisa respectu scilicet articulorum suorum ex quibus adunata constat. Quo
 in sensu fides dicitur *una copulativa*, similis catenae, cujus annuli capiunt se in-
 vicem, adeo ut facta unius solutione, necesse sit ipsam dissolvi, aut campanae,
 quae rimam passa murmurat potius quam sonat. conf. *B. Valentin. Alberti.* (e)
 Sic etiam una est *fides subjectiva*, qua creditur, nimirum & ratione *objecti*, &
ratione generis, si-ve quemadmodum etiam loqui licet ratione *essentiae* suae. Quo
 in sensu & infirma fides aequae est fides, ac robusta. Quemadmodum ex *B. Au-*
gustino prolixius docet *B. Jo. Gerhard.* (f) In eodem hoc loco *Eph. IV.* plures
 adhuc ejusmodi locutiones occurrunt, quae pari ratione enucleari possent; sed
 angustia chartae hâc vice easdem non capit.

(a) In *Compend. Metaph. c. 10. n. 7. p. m. 142.* (c) In *Regina Ministrâ part. gen. c. 3.*
qv. 2. § 3. p. 73. sqq. (c) In *Metaphys. divin. cap. de Unitate th. 4. p. m. 311. sq.* Et
 in *System. Tom. 2. p. 277.* (d) Sic enim ex infinitis ferme aliis commentationibus quae
 in difficillimum h. l. extant maxime mihi arridet illa *Petri du Bose*, quae legitur in *ap-*
pend. 3. in b. l. Vita ipsius quam *Gallico idiomate* gener ipsius *P. le Genre* descripsit &
 edidit *Roterod. A. 1694.* quam commentationem & observatio hæc nostra *Metaphysica*
 juvat. Quemadmodum enim Apostolus in priori locutione: *Mediator vero ille non*
est unus, termino *unius* respicit ad *unum* illum, cujus præced. v. 16. meminerat.
 Unum vero est hoc semen benedictum propter aggregationem plurium, qui quasi in
 unum conflati sunt, ut ex v. 28. luce meridiana clarius est. Hoc itaque jam semen re-
 spicit Apostolus, cum dicit *mediatorem non esse unius*, ut sensus sit: *ille ipse Media-*
tor vero, nempe Moses non mediator unius illius seminis, quod Gentiles & Judæos in
unum coadunat & de omnibus populis non nisi unum facit. Sic nunc in posteriori

hâc locutione: *Deus vero unus est* Scopo Apostoli convenientissimus hic est sensus: *DEus est omnium DEus, est indivisus.* Sic enim jam Christus *fecit ex ambobus unum* & *inter gerini parietis septum* (quod hæctenus duos fecerat populos divisos) *solvit.* Ephes. II, 14. ita ut nunc non sit *Judæus, nec Græcus nec servus, nec liber, nec mas nec femina, sed omnes unus sumus* Gal. III. 28. conf. & Rom. III, 28. 29. 1. Tim. II, 8. quæ collatio & observatio lucem plane egregiam obscuriori alias huic loco præbent. Ut sensus dicti jam sit breviter iste: Apostolus cum dixisset, legem datam esse per ministerium mediatoris, ut intelligeretur, de quo mediatore hoc velit intelligere, versum hunc 20. addit cujus hic est tenor: *Mediator hujus legis non est istius seminis, quod unum vocavimus quia ipsum omnes in terrâ populos unit atque conjungit: munere primi Mediatoris non nisi Judæos respiciente; sed DEus qui Abrahamo promissiones, dedit unus DEus est omnium, gratia ipsius inter credentes nullum discrimen statuente.* Quam commentationem Celeberrimi illi Collectores Actor. Erudit. Lipsiens. Ann. 1694. p. 183. non sine fundamento *ingeniosam* vocant ac *pulcherrimam.* (e) In *Interesse religion. in Proëm. S. 4. p. 25.* (f) In *Loci Theol. Tom. 3. loc. de Justificat. n. 113. p. m. 361 sq.*

§. XI. Habent Metaphysici etiam attributum aliquod Entis *unitum* quod vocant VERUM. Et hic terminus in S. Codice occurrit ex Metaphysica deducendus. Sic e. g. Jerem. X, 10. dicitur DEus *יהוה אלהינו Verus ille est.* Terminum *יהוה* non aliter hic posse verti, quilibet jam videt in primis cum opponatur hic DEus noster idolis omniqve creaturæ. Explices hunc terminum in Systemate Metaphysico, & Emphasin non inelegantem habebis in primis ex illâ VERI descriptione, quâ dicitur *id quo Ens habet essentiam sibi debitam.* En talis est noster DEus. Quam autem essentiam debet habere DEus ille qui supra idola & omnes creaturas est, Ens illud primum & summum? Essentia DEO debita est spiritualis infinita, immensa, æterna, immutabilis &c. Hanc cum habeat DEus noster, omnino *verus* dicitur DEus. Contra idola, nec ulla creatura possunt dici *verus* DEus, quia hanc essentiam debitam non habent. Ex eadem observatione peregregiè etiam explicabis dictum, 1. Job. V, 20. ubi Christus dicitur *ὁ ἀληθινὸς Θεὸς verus DEus,* quia nimirum habet hanc essentiam sibi debitam.

§. XII. Datur adhuc aliud Attributum Entis Unitum quod vocatur BONUM. Et hic terminus in sensu Metaphysico occurrit, Gen. I, 31. ubi *omnia creata* dicuntur *bona.* Non male sensus hujus dicti deducitur ex descriptione illa Boni, quâ Bonum dicitur, *quo Ens habet essentiam sibi convenientem,* ut sensus sit, omnes creaturas per creationem accepisse essentiam sibi maxime convenientem. Sic rationales & irrationales, & animatæ & inanimatæ creaturæ omnes habent essentiam sibi maxime convenientem. En prudentiam Creatoris! Plura Loca angustiâ inclusi hic præterimus.

§. XIII.

§. XIII. Ex attributis disjunctis unam etiam alteramve observationem, quamvis brevissimis lineis, adjiciemus. Occurrunt termini *δυνάμεις* & *ἐνεργείας* Ephes. I, 19. quos Dnus. Job. Musæus (a) ita explicat ut *δύναμις* explicetur de actu primo, *ἐνεργεία* de actu secundo. Cujus utriusque actus descriptio si hic conferatur evolutio non erit incommoda. Terminus principii occurrit inter alia etiam Job. VIII, 25. coll. cum v. 27. quem locum de DEO patre ut principio Filii explicat cum B. Schmidio Maxime Reverendus Dnus. D. FECHTIUS noster, Pater in Christo noster colendissimus. (b) Et quadrat optime descriptio principii, quæ hæc est, quod sit origo processionis alterius. Conf. B. Schertzer. (c) Terminus Cause occurrit Ebr. V, 9. ubi Christus dicitur causa æternæ salutis. Optime huc quadrat descriptio causæ, & quidem efficientis principalis physicæ, rejicimusque simul eos qui Christum cum merito suo faciunt causam salutis nostræ instrumentalem memem. Vid. B. Calov. (d) aliosque, qui usum Philo- sophiæ in Theologiâ tradiderunt.

(a) In *Introduct. in Theol.* pag. 559. (b) In *Thef. Biblic. Sel. part. 1. th. 6.* (c) In *Nucl. Philos. p. m. 455.* & in *Breviar. Hulsei, enucleat. p. m. 136.* (d) In *pecul. Dissut. contra Hunoldt.*

§. XIV. Denique ut etiam ex parte *Metaphysicæ speciali* exemplum aliquod addamus præ aliis occurrit terminus *ἰσότης*, quem cum Maxime Rev. Dn. D. FECHTIO nostro (a) per personam vertimus, & de Personâ Patris explicamus, cum Filius non sit imago vel essentiæ divinæ absolute consideratæ, vel hypostaseos abstracte consideratæ; sed Personæ in essentiâ & subsistentiâ consistentis. Jam si retineamus vulgarem illam descriptionem vocabuli Personæ, quam quoad prima initia debemus Boëtio, sensus hujus dicti plane elegantissimus est.

(a) In *Thef. Biblic. l. c.* Conf. & B. Sebast. Schmid. in *Comment. in Epist. ad Ebr. in b. l.*

§. XV. Si vero quis quæsierit: quis ergo *Metaphysicæ* hujus *Biblicæ* usus? Respond. *Usus Metaphysicæ Biblicæ* certe non contemnendus est. Consistit autem ille potissimum in hisce: (1) Juvat *Metaphysicæ Biblicæ* sensum, ministerialiter scilicet, uti jam supra monuimus. (2) Dat & dilatat interdum haud ineleganter *vocis emphasin*, ut ex adductis exemplis quodammodo constat, quæ stylo homiletico prolixius deduci poterunt. (3) Animadvertimus & hunc *Metaphysicæ Biblicæ* usum, quod nimirum interdum *controversias* quasdam *Metaphysicas* quam solidissime componat. Quamvis enim, ut itidem supra

supra

supra jam monitum est, sacer Codex hunc in finem nobis non sit datus, nihilominus tamen, cum divinitus vera omnia sint quæ tradat, nec Metaphysicus reclamabit, si veritatem quandam suam asserat. E. gr. decantatissima Metaphysicorum est controversia, & una ex eminentionibus de *Ente in potentia: an sit verum Ens?* Alter affirmat, alter negat, nescio quæ non interdum cum animi contentione; sed ni omnia nos fallunt, putaverimus Metaphysicam Biblicam omnem hic decidere controversiam hoc modo: Omnes creaturas ante productionem sui fuisse entia in potentiâ, non facile Philosophus quis negabit. Sed jam omnes creaturæ ante productionem sui dicuntur *μὴ ὄντες non-entia Rom. IV. v. 17. conf. §. 8.* E. ante productionem sui non fuere vera entia, & per consequens, nec Ens in potentiâ poterit dici verum Ens. Quid clarius?

§. XVI. Plura adhuc alia ex Metaphysicâ nostrâ Biblicâ adducere, & quæ adducta eo prolixius deducere potuissemus. Verum uti sæpius jam doluimus, angustia chartæ prolixiora non capit, quæ alii occasione reservamus. Hic igitur subsistimus, DEO decentes agentes grates pro præstitâ suâ gratiâ, B. vero L. æquam nobis promittimus censuram, in memoriam ipsi revocantes quod promisimus, quod specimen saltem est, idque tumultuarium. Si quid vero scriptum fuerit, quod iudicio ipsius sano sobrioque stare nequeat, id ne scriptum quidem volumus. DEO vero nostro sit
 Laus Honor & Gloria sine

F I N E.



coll. diss. A. 43, wise. 5